

1433. 1434. 1435. 1436. In Codicibus Palatinis 765. 766. 767. In Codice Urbinate 164.

Antiqua hæc Latina Interpretatio, Græcum Textum pressius sequitur, quam Epitome ejusdem operis, facta non longe a temporibus Justiniani, Latino sermone, a *Juliano Antecessore Constantinopolitano*, de qua Epitoma deque ejus auctore Juliano sic scribit *Antonius Augustinus* Ilerdensis Episcopus, in Prefatione, edita Ilerdæ 1567. typis Petri Roburi. *Juliani Antecessoris Constantinopolitani, Novellarum Justiniani Imperatoris Epitome: & infra. Hic Antecessor Constantinopolitanus*, hoc est, *Juris præceptor, utriusque linguae peritus fuit, Græcas novellas Constitutiones Latinas fecit, & proœmiis ac perorationibus sublatis, singulorum capitum sententiam, paucis verbis dilucide explicat. Hunc Alciatus meus Consularem virum & Patricium appellat in parergis. Existimo, eum putasse eundem fuisse Julianum illum, quem eisdem titulis Priscianus ornavit. A qua opinione discedo; propterea quod Prisciani libri exstant Marvortio Consule scripti a discipulis Prisciani. Illius autem Consulis annus collectionem Novellarum, quæ post mortem Justiniani facta est, quinquaginta amplius annos excedit. Alius eodem nomine fuit Præfectus Prætorio, ad quem, extant aliquot Græcæ Constitutiones data Lampadio & Oreste Consulibus. Sed hunc etiam alium esse existimamus, tum propter rationem temporum, tum propterea quod hunc videmus in veteribus libris, nec Patricium se, nec Consularem, aut Præfectorium appellasse, aut, ut tunc usurpabant, ex Consule, vel ex Præfecto; sed tantum, Antecessorem Constantinopolitanum. Neque illi audiendi sunt, qui Constantiensem fuisse dixerunt, & temporibus Irnerii (1) conscripsisse; quos & veteres libri, & plurima antiquorum scriptorum testimonia, quæ in Paratitulis attulimus, aliter rem se habere docebunt. Usus fuisse, hoc libro Irnerium, Bulgarum, Azonem, Accursium, &*

A a 2

cete-

(1) Irnerius post Peponem Jus Romanum docuit, atque inter primos Glossis anno 1102. illustravit. Fabric. Biblioth. Latinæ Tom. 2. pag. 551. edit. Vened. 1728.